

---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HYDROPE ANASARCA.

---



TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE  
HYDROPE ANASARCA.

QUOD,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.  
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,  
Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subicit

GEORGIUS FOGERTY,  
HIBERNUS;

SOC. MED. HIBERN. EDIN. SOC. EXTRAORD.

---

*Nam brevis in gelidas membris exilibus undas  
Transitus est. Post hoc humeri, tergumque latiusque,  
Pectoraq; in tenues abeunt evanida rivos.  
Denique pro vivo vitiatas sanguine venas  
Lympha subit* ———

OVID:

---

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:  
CUM PRIVILEGIO.  
J. ET E. BALFOUR.

---

M,DCC,XCIV.

350337



Faint, illegible text is visible throughout the page, appearing as bleed-through from the reverse side. Some words like 'ATLANTA' and 'LIBRARY' are faintly discernible in the background.

RICHARDO PENEFATHER, Armigero,

Ex Senatoribus Hibernicis,

Apud NEW PARK,

In Comitatu Tipperariensi,

Morum elegantia,

Et Virtutibus,

Insigni ;

Propter plurima beneficia in patrem suum collata,

Et a se mente semper tenenda :

NEC NON,

THOMAE LANIGAN, Armigero,

Cognato suo,

De CASTLE FOGERTY,

Comitate,

Et vitae integritate,

Vere spectabili ;

Qui sibi monita saepe optima dedit,

Et semper se amore fraterno prosequutus est,

Hoc, leve quidem,

Sed animi amicitiae nunquam non memoris,

Sincerum testimonium,

Sacrum esse vult

GEORGIUS FOGERTY.

RICHARDO TENNENTHAR, Ambrico

In Speculatione Philosophica

Apud New York

In Compendio Philosophico

Philosophia

In Philosophia

Libri I

In Philosophia Speculatione in parte prima

In Philosophia Speculatione in parte secunda

1780

THOMAS J. A. WIGAN, Ambrico

Philosophia

De Causis

Philosophia

De Causis

Philosophia

De Causis Philosophia

De Causis Philosophia

De Causis Philosophia

De Causis Philosophia

De Causis Philosophia

De Causis Philosophia

1780

1780

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HYDROPE ANASARCA.

---

---

AUCTORE G. FOGERTY.

---

---

“**V**ERUM enim vero is mihi demum vivere,  
atque frui anima videtur, qui, aliquo  
“ negotio intentus, praeclari facinoris, aut artis  
“ bonae famam quaerit.” Medicinae idcirco stu-  
dio incubui, mihi semper gratissimo, et imprimis  
optato; academiaeque hujus praeclarae leges ob-  
A servandi

fervandi cupidus, hanc dissertationem proferre audeo; impotentiam attamen meam ad susceptum haud ignorans. De Hydrope paululum differere statui, quia morbi pauci, qui genus humanum infestant, magis, me iudice, medici diligentiam sibi anxiam vindicant, propter impetum frequentem, exitum saepe infoelicem, vimque incertam medicamentorum omnium ad eum tollendum laudatissimorum. Hydropis genera omnia hic indagare abs re foret; pauca igitur de Anasarca dicere in animo est, quia saepius invadit, et genera alia ut plurimum comitatur.

### CHARACTER.

CULLENUS Celeberrimus ita depingit.

“ Corporis totius, vel partis ejus, intumescencia mollis, inelastica.”



## H I S T O R I A.

Morbus hicce Anasarca nuncupatur, non solum (ut multi errarunt) propter laticem cutem subter effusum, sed etiam quoniam hic, in membranam cellulofam inter musculos positam irrepit, ut constat, cum aqua, morbi versus finem, in corporis cava varia admittitur.

Anasarca cum pedum ac malleolorum pallore livido, et tumore inelastico plerumque incipit. Tumor vesperi evidentius cernitur, aqua propter gravitatem, sedes semper imas petente; mane vix conspicendus vel cum aeger aliquantisper decubuerit. Si tumoris hujus causae agere persistent, paulatim ascendit, crura, femora, abdominis partes externas, corpus denique totum occupans; partibus dependentibus semper maxime tumefactis.

Palpebrae etiam nonnunquam turgidae evadunt,

ita ut lucem praecludunt ; cuticula interdum rumpitur, ulceribus sanatu difficillimis insequentibus, et aliquando Gangraena. Tali modo morbus plerumque percurrit, sed saepe vim suam maximam multo citius adipiscitur, cujus exempla, si opus esset, multa edere possem.

Functiones omnes tandem impediuntur : Pulsus mutatur in horas, solito fere frequentior et debilior, aliquando lentus, et nonnunquam abnormis. Cibi appetitus deficit, et sensibilitas adeo diminuitur, ut, inconscio aegro, cutis aduri possit. Cutis constanter aret, et Jovis ambientis calorem vix exsuperat ; sitis plerumque ab initio premit, et tandem fit avarissima, ut pulcherrime canit THOMSON :

“ For ever fed with watery supply,

“ For still he drank, and yet he still was dry.”

Urina feri lactis colorem induit, et sedimentum lateritium demittit. Alvus astricta totum fere mor-

bi decurfum comitatur; Diarrhaeam tamen nonnunquam induci reperitur. Exercitatio minime aegro convenit, respiratio enim difficilis et tuffis ficca continuo eum laceffunt. Ingravefcente tandem dyfpnoea, vix decumbere potefl, et vigor corporis penitus deficit. Morbo nunc ad finem progredienti, paralyfis nonnunquam accedit, aut aeger febre lenta, comate, vel Syncope laborans, animam plerumque placide efflat; interdum, fed raro, propter ferox delirium emittit fpiritum.

## D I A G N O S I S.

Duo tantum funt morbi, qui Anafarcae formam gerunt, viz. Polyfarcia et Emphyfema: Discrimen inter eam et alios offerre omifi, utpote fuperfluum exiftimans. In Polyfarcia, cutis color naturalis manet, cum appetitu illaefo; tumor elaflicus non evanefcit corporis fitu mutato; urina haud fit parca; paulatim femper advenit a pleno et lauto victu exortus

exortus. His signis Polyfarcia ab Anfarca dignoscitur.

Crepitus, qui manu premente percipitur, et vis sua elastica, Emphysema ab Anafarca fatis dissociant; necnon Emphysematis praesentiam causa excitans indicet.

### CAUSAE REMOTAE

In Praedisponentes et Excitantes jure dividuntur.

### CAUSAE PRAEDISPONENTES

Sunt omnia corpus debilitantia, victus tenuis, coelum frigidum et humidum, vitae genus ignavum, debilitatus solutusque solidorum status, fenectus. Qui regiones incolunt humiditas vel paludosas

dofas huic morbo peropportuni funt, propter re-  
preffam per cutem perpirationem ; et cum hoc ac-  
cidit, verifimile eft, vafa in cute extrema patula  
aquam ab aere haurire. Spiritus ardentés et venus  
immodice culta, Hydropem faepe inducunt. Men-  
tis affectus deprimentes, veluti metus, maefitia,  
amor faftidio remuneratus eofdem effectus prae-  
ftent. Mulieres obftructionibus excretionum ufi-  
tatarum procliviores, et corporis habitu debiliores,  
plufquam viri huic morbo obnoxiae effe feruntur.

### CAUSAE EXCITANTES

Corporis cava omnia fluido ab exhalantibus ef-  
fufo humectantur ; exhalationem hanc auctam  
Hydrops aliquando infequitur ; caufas nunc hujus  
promptas hic enumerare licet ; funt,

I. Omnia quae exhalationem adaugent ; hoc au-  
tem oriri poteft a systematis ftatu morbis praegreffis  
foluto,

soluto, vel a sanguinis in dextram cordis auriculam reditu quomodocunque impedito, qui, igitur majore vi in arterias exhalantes propellitur; indeque vasta effusio originem habere potest. Si absorbentia officio suo parum fungantur, Hydrops advenit. Obstructio accidat prae compressione quavis venarum, polypo cordis, vel ossificatione valvularum ejus. Nimiam humoris aquosi quantitatem in vasis sanguiferis, propter abundantiam aquae, vel diaetae tenuis in corpus receptae; propter concoctionem mendosam; vel denique propter excretionem suppressas, Anasarcam aliquando inducere nemo non fatetur.

Tumorem aquosum, si venas Iliacas, vel cavam inferiorem comprimamus, partium imarum; et si superiorem, summarum, arte efficere possumus.

II. Quae absorptionem imminuunt. Sectiones cadaverum probant Glandularum obstructions lymphaticarum effusionis in membranam cellulosam causam

causam fuisse, interpellando liberum lymphae iter in propria receptacula, exhalantibus interea quantitatem suam continuo effundentibus. Hydrops etiam exoriri potest a lymphaticis, propter debilitatem &c. suo officio segnius fungentibus: Huc praecipue referenda sunt omnia, quae vasa lymphatica debilitant, veluti evacuatio ingens, sive a Venaesectio, sive a Catharticis.

III. Lymphaticorum ruptura, quam auctores tradunt causam Anasarcae per se extitisse.

### CAUSA PROXIMA

Est effusio alicujus liquoris in membranam cellularem; si qua enim laticem amoveamus, graviora symptomata statim evolant; sed si causae remotae, veluti debilitas, &c. praesto sint, morbus recurret. Absorptio imminuta, exhalatio adaucta, vel utraque conjuncta, aut lymphaticorum ruptura, Anasarcam illico inducaet.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Praecipua sunt, corporis intumescencia inelastica, tussis et dyspnoea, sitis, cutis sicca, foveola premente digito manens, tumores in extremis artibus potissimum insignes, urina parca, ulcera et gangraena.

I. Corporis intumescencia inelastica; quae accidit ob effusionem humoris serosi vel aquosi in talem cellulosam, quae itaque distenditur et in tumores elevatur.

II. Tussis et Dyspnoea. Si haec ab initio premant, a corporis totius, vel musculorum respirationis infirmitate pendent; sin autem finem versus accedant, a fluido in rete celluloso pulmonum, vel in cavo thoracis collecto.

III. Sitis a secretione deficiente fluidorum, quae os internum et fauces irrorare debeant, antea in membranam cellulosam effusorum, enascitur.



IV. Cutis ficca, ex causis fitis, vel constrictione vasorum extremorum usitatam perspirationem impediēte provenire potest.

V. Foveola digiti prementis aliquamdiu permanet; quoniam cutis, elasticitate sua perdita et aqua in vicinas partes pressa, per aliquod tempus haud refilit.

VI. Tumores in extremis artubus potissimum insignes; Tumores in Anasarca plerumque in artubus inferioribus primo apparent, vel a variis telae reticulatae partibus libere inter se communicantibus, et aqua, propter gravitatem suam, infima loca petente; vel a conditione vasorum, a corde adeo femotorum, igiturque a qualibet universa debilitate, maxime semper laesorum.

VII. Urina parca: Urinae secretio diminuitur, prout aqua in cellulas subcutaneas effunditur.

Idem symptoma, etiam ab obstructis vel compressis renibus, potest pendere.

VIII. Ulcera et Gangraena. Cuticula interdum rumpitur, aqua per cutem veram usque ad cuticulam permanente; hoc autem ita evenit: Membrana densa cellularis, ex qua praecipue constat cutis vera, aliquamdiu in latice effuso macerata, et propter hunc simul cum calore agentem expansa, aquae partem in cellulas tandem accipit, quae propter earum mutuam aditum, inter cutem veram et cuticulam cito deponitur, ibique, si lymphatica eam non absorbeant, permanet, donec talis denique vis congeritur, qualis sufficit ad eam rumpendam: Ita fiunt ulcera sanatu difficillima, et quibus interdum Gangraena supervenit.

### PROGNOSIS.

Ad Prognosin formandam cautela opus est,

Morbum saepe comitantibus obstructionibus Herculeis, fracta valetudine, summa debilitate, vel morbosa sanguinis tenuitate. Aegroti, qui vitam haud diu egit, cum viribus intemperantia vel praegressis morbis illaesis, et cui affatim redditur urina, cui appetitus valet, sitis est naturalis, et respiratio facilis, eventum foelicem promittere fas est. Tussi haud aegrum defatigari, nulla signa viscerum obstructorum sese prodere, morbumque paulisper tantum durasse, inter fausta symptomata annumerari debent.

Contra vero, pessimi ominis est, symptomatibus viscerum vel vasorum obstructorum, aut affectionibus pulmonum, pericardii vel Cerebri laborare. Sitis, spiritus difficilis, vel tussis, cum appetitus vel urinae defectu, et aetate proventa, etiam infausta sunt. Cum Febris, Paralysis, Coma vel Delirium occurrunt, et denique cum remedia solita nullum praebuerint fructum, morti cito cessurum praenunciare licet.

## MEDENDI RATIO.

Ad tria consilia referri vult :

- I. Causas remotas tollere.
- II. Aquam effusam eliminare,
- III. Reditui ejus obvenire.

## CONSILIUM PRIMUM.

Causae remotae, sicut intemperantia, &c. si persistent, summoveri possunt; sed ad nonnullas tollendas, viz. Polypos, Ossificationem cordis vel arteriarum, medicus frustra operam navabit. Obstructio, induratio vel tumor hepatis aut aliorum viscerum saepe morbi causa evadit: Cum res ita sit, sola

spes nostra in Hydrargyro et remediis deobstruentibus evacuantibusque restat.

### CONSILIUM SECUNDUM

Remedia huic inservientia haec sunt.

Diuretica, Cathartica, Sudorifica, Emetica, Sialagoga, Vesicatoria, Puncturae, Fonticuli, Setacea. De his ordine loquar.

Diuretica omnibus medicamentis anteponenda sunt, quoniam, si recte adhibeantur, corpori haud multum nocent; exitusque foelix ab eorum usu saepe observatur. Validissima sunt Scilla, Digitalis, Nicotiana, Crystalli Tartari.

Scilla est medicamentum merito laudatum: Hydrargyrus simul sumptus optimum fructum saepe edidit.

edidit. Praeclari Gregorii in Hydrope arcendo illa sunt remedia praecipua.

Digitalis multis laudibus diu ornata fuit, praefertim a Doctore WITHERING : Remedium autem tam anceps caute adhiberi debemus ; multi enim medici, vomitum violentum, Hypercatharsin, et alias injurias, ab ejus usu, corpori accidisse ferunt. Eximius celeberrimusq; DUNCAN hieme anni millesimi septingentesimi nonagesimique secundi, in Clinico conclavi cum successu eam administrabat et in praelectionibus Clinicis sicut medicamentum viribus Diureticis maxime pollens laudibus efferebat.

Nicotiana : In ejus usu cavendum est ; corpori enim aliquando nocet. Dr FOWLER hanc comprobavit, et narrat multos Hydrope et Dysuria laborantes, ejus usu convaluisse.

CrySTALLI Tartari optimas saepe edunt effectus ;

in magna quantitate aquae dissolutae, deglutiantur. Si eas dilutas offerre non conveniat, vel noceat, sub forma electuarii, vel pulveris porrigantur. Alia Diuretica recensere possem, sed haec jam memorata praecipua sunt in usu.

Cathartica certe Anasarcam saepe tollunt; sed parum apta videntur, quia corporis tantum debilitatis saepe impertiunt, quantum morbum renovare sufficiat. Quanquam multi his remediis convaluerunt, attamen priusquam ad ea decurritur, aliis medicamentis frustra usum esse necesse est. Varia sunt Cathartica in usu; Gambogia, Elaterium, Jalappa, &c. Hydrargyrus una cum hac votis nostris saepe respondet; sed cavendum est, ne ab horum remedium infumtu immodico intestinorum inflammatio exoriatur; Purgantia mitiora nunc anteferuntur, praecipue crystalli Tartari, quae, validis fatis dosibus sumptae, alvum purgando et urinam movendo, morbum sustulere. Jalappa,

quae vires earum adauget, si opus fuerit, addatur.

Sudorifica. Cum Hydrops a perspiratione obstructa pendeat, ad Sudorifica confugere licebit: CELSUS ea valde commendat. Hoc temporis raro usurpantur, quoniam sudor in hoc morbo haud facile excitatur, et omnia debilitantia aegro praecipue sunt nociva.

Quanquam ad Sudorifica raro decurramus, nequaquam negligendus est vestitus confertus, perspirationi augendae imprimis utilis.

Emetica, incipiente Hydrope perutilia esse possunt, Systema agitando et ita absorptionem promovendo. Multi, propter exempla quaedam ab auctoribus tradita, Hydropis vomitu spontaneo curati, emeticorum usum suadent; ea vero pro incertis, etiam periculosis remediis habeo, si, cum aegri debiles fiant, et dubium sit, utrum vim qua agant su-

stinere



stinere queant, dentur. SYDENHAM ad vomitum  
ciendum, praeparata ex Antimonio, saepe repeti-  
ta, comprobat. Praeclarus MONROIUS, puncturis  
factis, eorum usum commendat, quippe quae a-  
quam exprimant.

Sialagoga. Hydrargyrus, etsi fluxum salivae  
excitando, aegrum debilitat, Hydropem attamen  
amovisse fertur; sed si hoc accidat, non modo va-  
forum glandularum salivariarum actionem, sed e-  
tiam excretiones alias proferre videtur; nullum  
enim Ptyalismum, nisi etiam perspiratio adaugea-  
tur, observamus.

Vesicatoria, a nonnullis quamplurimum com-  
probata sunt, dum alii eorum usum omnino vitu-  
perant quoniam postea insequitur saepe Gangrae-  
na; sed si cutis et tela cellulosa multo humore im-  
pleantur, et metuitur ne integumenta rumpantur,  
ad vesicatoria tunc confugiamus, ruptura sponta-

nea magis adhuc superventuram esse gangraenam minitante.

Puncturae. Si, aliis remediis incassum adhibitis, hae idoneae videantur, puncturas facere oportet, primo ad partem femoris superiorem, posteaque ad loca inferiora; hoc facto, levius gangraenae periculum, et ne nervi, venae vel tendines laedantur, cavetur. Vicinae partes, ab irritante aqua, aliquo tenaci unguento conferventur; et cum fascia lanea sustineantur; et ad gangraenam praeveniendam, Cortex Peruvianus, et Vinum libere porrigantur.

Fonticuli, paululum infra genu facti, si gangraena non appareat, haud parum proficere feruntur.

Setacea, fautoribus suis etiam haud caruerunt.

## CONSILIUM TERTIUM.

Diaeta, Exercitatio, Frictio, Cortex Peruvianus, Chalybeata, Lavatio frigida, et aer purus ac ficcus huic consilio respondent.

Diaeta ex materia nutriente et concoctu facili constet, qualia sunt caro assa, et panis bene fermentatus: Anteponatur vero, si innocuum sit, quod aegro est gratissimum. Potus roborans sit oportet, scilicet vinum cum aqua commixtum, cerevisia fortis, vel porter.

Exercitatio. Hanc veteres maxime commendaverunt, nam etiam HORATIUS ait,

“ Ut teipsum serves, non expergisceris? atqui

“ Si noles sanus, cures hydropicus: —

Curru deferri, equitare, vel ambulare praecipue convenit;

Sedulo tamen cavendum est ne aeger defatigetur, exercitationis enim nimius usus debilitati favere solet, novaeque vires morbo saepe ministrat. Multa commoda ab exercitatione pendent; Sanguinis circuitus acceleratur, digestio adjuvatur, et excretiones, praesertim per cutem et pulmones, promoventur.

Navigatio, propter lenem et constantem motum, utilis esse potest, sed morbi versus finem, si vomitus ciceretur, periculosa foret.

Chalybeata, et Cortex Peruvianus. Tonicas horum vires omnes adeo norunt, ut de iis agere supervacaneum foret; rubigo ferri, aequae ac quodvis ex ferro praeparatum, convenit.

Fricatio, cum pannis laneis, calidis, saepe iterata, multum commodi adferre solet; fricatio sursum dirigenda, ut cursus sanguinis cor versus promoveatur.

moveatur. Pannos oleo imbuere fortasse solers erit, ne aegrotus remedium adeo utile contemneret, a frictione mera nil commodi se accipere posse existimans. Oleum insuper spoliationi cuticulae obvenire potest. Frictionem haud parum adjuvat lenis compressio, quae fibras debiles ac laxas sustentat.

Lavatio frigida. Cum aeger fere convalescat, lavatione frigida aliquamdiu utatur, et postea semper fricentur partes inferiores.

Aer purus ac ficcus. Aeger coelum aere salutari refertum petat; praesertim si sub Dio impuro, et nubibus foedo, vitam degeret. Ad fontes medicinales iter tendat, ubi hilaritas adest, novaque et insolita delectant. Haec nunc memorata ad vires suppeditandas salutemque conservandam plurimum certe pollent.

Et nunc hoc opusculo ad finem perducto—interrogare libet, Utrum quilibet liquor (qui absor-

bentia

bentia stimulet) post Paracentesim in abdomen immisus, in eo genere hydropis, nomine Ascitis, conveniat?—Novi hoc \*, postquam ad Paracentesim ter frustra decursum esset, fausto cum Eventu effectum esse; sed quoniam solatia vitae vel remedia robur gignentia a paupercula diu parari non poterant, morbus, paucis mensibus interpositis, iterum rediit, et migrare ad plures eam coegit.

\* Fluida immissa ex Vini (Port dicti) et aquae, partibus, aequalibus, constabant.

F I N I S.



---

DIFFERENTIAL MEDIC

TABLE

ABSORPTION

---